

DECRETUM TURNI
CORAM R.V.D. DANIEL FALTIN

DE COMPETENTIA TRIBUNALIUM

Anno domini 1994, die 18 maii, infrascripti Patres Auditores de Turno, scilicet Daniel FALTIN, qui et Ponens, et Laurentius CIVILI, atque Joseph HUBER, in Sede H.A.T. legitime collecti ad disceptandam ac definiendam quaestionem praeliminarem, nempe:

«AN CONSTET DE COMPETENTIA TRIBUNALIS GRAECORUM MELKITARUM IN NATIONE B. CONSTITUTI, IN CASU»,
sequens edixerunt decretum.

I. Brevis casus adumbratio

1. D.nus NN., actor in causa, a. 1948, in loco X. natus, catholicus ritus Antiocheni Maronitarum, et D.na AA., anno 1951 in civitate Z. orta, et ipsa catholica eiusdem ritus, matrimonium inierunt in ecclesia catholica, in territorio regionis orientalis, iuxta Ecclesiae Maronitae ritum, a. 1969.

2. Familiare consortium, licet bina prole laetatum (cf. ib., p. 28), male cessit, nam coniuges sese separaverunt ac deinde vir in nationem B. in territorio regionis occidentalis existentem, commigravit ibique locum domicilii statuere censuit (cf. ib., p. 11).

3. Vir actor, a. 1991, Eparchae Maronitarum in natione B. commorantibus, porrexit libellum (cf. ib., p. 11), accusans nullitate suum matrimonium cum

D.na AA., uti supra, initum (cf. ib., pp. 12-19; Doc. n. 1).

4. Cum in natione B. unicum exstet Tribunal tam pro christifidelibus ritus Antiocheni Maronitarum quam pro catholicis ritus byzantini Melkitarum, in civitate C. situm, praefatum libellum ei transmissum fuit. Quo libello accepto, idem Tribunal, Decreto diei 15 aprilis a. 1992, ad mentem c. 1359, n. 4 CCEO, se incompetens esse iure ac merito declaravit, visa mulieris conventae oppositione.

5. Ast, die 18 martii a. 1993, non viro actore reccurrente, ad norman c. 1119, § 3, sed interveniente ac instante Eparcha Maronitarum in natione B.(cf. ib., p. 11), Vicarius Iudicialis Tribunalis Unici Maronitarum in D., suum assensum concessit, ut causa apud Tribunal unicum pro christifidelibus ritus Antiocheni Maronitarum et pro catholicis ritus byzantini Melkitarum in natione B. constitutum pertractetur, muliere conventa autem non audita.

Vicarius Iudicialis eiusdem Tribunalis, in causa Judex unicus ac Praeses Tribunalis, suo Decreto, diei 21 aprilis 1993, libellum admisit et, deinde, die 9 septembris eiusdem anni, dubium concordavit.

6. De qua re mulier conventa edocta cum fuerit, die 20 octobris a. 1993, sese opposuit et eiusdem Tribunalis competentiam excepit, potens insimul, ut causa competenti Tribunali Unificato maronitarum in D. pertractanda demandetur. Quam competentiae exceptionem una cum mulieris conventae instantia, idem Judex unicus, suo Decreto, diei 29 octobris a. 1993, reiecit (cf. ib., Doc. 10). Et se competentem esse declaravit.

7. Quam ob rem, die 29 decembris a. 1993, pars conventa, ad tramitem Nuntiaturae Apostolicae in D., adversus praefatum Decretum reiectionis recur-

sum, una cum appellationis prosecutione, interposuit apud H.A.T., petens, inter alia: «Au fond: *d'infirmar* la décision de première instance en entier et de *l'annuler* en déclarant l'incompétence du Tribunal grec-catholique au B...», quem recursum dicto Tribunali ipsa notificavit (cf. ib., p. 8).

Quibus omnibus non obstantibus, iussu eiusdem Iudicis unici Tribunalis in natione B. siti, die 28 ianuarii a. 1994, pars conventa vocata fuit se sistendi coram Vicario Iudiciali Tribunalis Unici Maronitarum in D., ad examen iudiciale per rogatoriam subeundum. Qua occasione ei libellum litis introductorium, ab actore oblatum, diei 8 octobris a. 1991, notificatum fuit.

8. Coram H.A.T., mulieris conventae recurso accepto, die 9 ianuarii a. 1994 (cf. Rep. n. 8/94 in Actis) atque Turno constituto Decreto Exc.mi Decani, diei 4 februarii c.a., itemque Actis ex lingua originali in linguam italicam versis eisque notificatis tam Promotori Iustitiae quam patronis ex officio, ad iura partium in causa tuenda ac defendenda constitutis Decreto eiusdem Exc.mi Decani, diei 21 martii a. 1994, infrascriptus in causa Ponens, Decreto diei 22 eiusdem mensis ac anni, iussit, ut quaestio praeliminaris, de qua supra, per Memorialia solvatur, statutis insimul terminis peremptoriis ad Vota et scripturas defensionale exhibendas.

Quibus omnibus expletis, servatisque adamussim ceteris omnibus de iure servandis, opus, igitur, iam est, ut propositae quaestioni respondeamus.

II. In iure et in facto

9. Quaestio de competentia Tribunalis Graecorum Melkitarum in natione B. constituti, quae hinc

disceptanda ac diiudicanda proponitur, sat elegans esse videtur, etsi quis, forsitan in bona fide, cogitare posset agi, in casu, de quaestione ordinariae administrationis parvique momenti.

Rationes exceptionalitatis quaestionis sunt variae diversique generis, inter quas recensendae sunt praecipue sequentes, nempe:

a) quod agitur de Tribunali unico pro Ecclesiis Orientalibus diversi ritus, *extra regionem orientalem* constituto;

b) quod agitur de recursu, ni fallimur, prima vice proposito adversus competentiam eiusdem Tribunalis, non Patriarchae, unius alteriusve Ecclesiae Patriarchalis, sed huic Apostolico Tribunali, cum exstet *in territorio orientali* utriusque Ecclesiae;

c) quod agitur de recursu interposito coram H.A.T. post Codicis Canonum pro Ecclesiis Orientalibus (cf. c. 1) promulgationem, factam Auctoritate Summi Pontificis JOANNIS PAULI II, Constitutione Apostolica *Sacri Canones*, diei 18 octobris a. 1990, quippe qui Codex a die 1 octobris a. 1991 vigere coepit.

10. Antequam ad medias res accedamus, licet hinc breviter animadvertere, quod promulgatio CCEO habet immensam significationem tam sub aspectu ecclesiologico, quam etiam sub aspectu historico. Nam «sotto l'aspetto ecclesiologico a nessuno può sfuggire il significato della "sollecitudine omnium Ecclesiarum" che spetta, per mandato di Cristo, al Romano Pontefice, Successore di Pietro "atque universae Ecclesiae his in terris Pastor, qui ideo vi muneris sui suprema, plena, immediata et universalis in Ecclesia gaudet potestate ordinaria, quam semper libere exercere potest"» (cf. c. 43, CCEO). Insuper, sub aspectu historico «si può definire un atto di

coraggio, perché è la prima volta che le Chiese Orientali hanno tra le mani un “*corpus legum*” sistematico, in cui viene codificato il Diritto comune delle Chiese Orientali Cattoliche» (cf. D. FALTIN, *Il consenso matrimoniale: incapacità, errore e dolo nel codice dei Canonici delle Chiese Orientali*, in *Studi Giuridici*, Fasc. XXXII, Città del Vaticano 1994, 207-213) post circiter centum et viginti annos transactos a primo conamine, a Hierarchis Orientalibus in Concilio Oecumenico Vaticano I, facto (cf. A. CICOGNANI, *Prefazione sull'opera della Codificazione orientale*, in *Apollinaris* 18 (1931) 12; M. BROGI, *Codificazione del diritto comune delle Chiese Orientali*, in *Monografias del derecho canonico*, n. 26, Salamanca 1988, 23; et praesertim MANSI, t. 49, col. 1012).

11. Quae supra adnotavimus spernenda non sunt. Nam, intelligenti pauca! Etenim, cum libellus litis introductorium oblatus fuerit die 8 octobris a. 1991, i.e. tempore quo CCEO iam vigeat, praescripta legum eiusdem Codicis applicanda esse ambigendum non est. Item dicendum est de recursu a muliere conventa, die 29 decembris a. 1993, interposito. Quem recursum certo certius coram Patriarcha Maronita aut Melkita, in casu, pars conventa interponere non potuit, quia: «potestas Patriarchae exerceri valide potest intra fines territorii Ecclesiae patriarchalis tantum» (c. 78, § 2), ideo non *extra* fines territorii Ecclesiae patriarchalis, uti patet. Altera ex parte, aliquid aliud non constat nec ex natura rei neque ex iure communi vel particulari a Romano Pontifice approbato, in casu, dicendum est. Idcirco, cum Ecclesiae particulares, seu «sui iuris» extra territorium Ecclesiae patriarchalis constitutae, concreditae sint Hierarchae, qui eis «praeest ad normam iuris communis et iuris particularis a Romano Pontifice statutis»

(c. 174) atque immediate a Sede Apostolica dependant (cf. c. 174), iure ac merito legitimeque mulier conventa recursum coram H.A.T. interposuit. Hinc, igitur, locum non obtinet vexata quaestio, utrum nempe Rota Romana sit competens vel minus iudicandi causas Orientalium in secundo iudiciorum gradu, eo quod c. 1065 statuit: «Tribunal tertii gradus est Sedes Apostolica, nisi aliter iure communi expresse caveatur», nullam mentionem de Tribunali Rotae Romanae facit (cf. Z. GROCHOLEWSKI, *I tribunali*, in *La Curia Romana nella Cost. Apostolica «Pastor Bonus»*, Città del Vaticano 1990, 146-147). Quia in c. 1065 ageretur non de Tribunali Apostolico, qualis est Rota Romana, sed de Foro Pontificio, quae fora, sub adspectu iuridico, essent quam maxime diversa (cf. M.J. ARROBA CONDE, *Diritto processuale canonico*, Roma 1993, 143).

Quidquid sit, nemo est qui ignoret, cuiuslibet fidelis in Ecclesia integrum manet ius «causam suam in quovis statu et gradu iudicii cognoscendam ad ipsum Romanum Pontificem» deferendi (cf. c. 1059, § 1).

12. Quibus praemissis eisque prae oculis habitis, nemo est qui rationabiliter dubitare possit quaestionem propositam iuxta principia iuris canonici orientalis vigentis atque communem sanam doctrinam iuridicam ac N.F. iurisprudentiam dirimendam esse.

Statuit c. 1149 CCEO: «Quodlibet ius non solum actione munitur, nisi aliter expresse cautum est, sed etiam exceptione, quae semper competit et est sua natura perpetua». Inter quas exceptiones, praeter illas, quae «dilatatoriae» vocantur, ad normam c. 1118 «eae praesertim, quae respiciunt personas et modum iudicii», seu modum agendi iudicis in procedendo et in decernendo, «quam primum definiendae» sunt (cf.

in una Romana, diei 18 februarii 1974, c. Egan, in R.R. Dec., vol. LXVI, 1974, p. 98, n. 6), certo certius adnumeranda est illa, quae respicit incompetentiam iudicis relativam in pettractanda causa nullitatis matrimonii in concreto, ad normam c. 1359, n. 4, ob defectum iurisdictionis «ratione loci, ubi de facto colligendae sunt pleraequae probationes», nisi «Vicarius iudicialis partis conventae, ea audita, consentiat». Hinc animadvertatur oportet, quod «collectio probationum» respicit non solum ius processuale, sed etiam ius substantivum, quatenus n. 4 citati c. 1359 ponit duas condiciones, nempe:

a) ut Vicarius iudicialis loci partis conventae consentiat;

b) ut eadem pars conventa audiatur. Exinde, si unum vel alterum elementum deficit, nulla sunt acta processus, ideoque et decisio ob incompetentiam iudicis.

13. Quoad incompetentiam relativam dicendum est, quod, vi legis qua utimur, post contestationem litis iurisdictio iudicis suppletur eiusque competentia prorogatur (cf. cc. 1118 et 1119), in casu in quo pars, a iudice relative incompetenti rite citata, nullam opponit exceptionem incompetentiae. Nam lite contestata, cessat facultas excipiendi, quatenus censetur ipsam ei renuntiavisse (cf. in una c. Rossetti, diei 5 maii a. 1922, in R.R.Dec., vol. XIV, 1922, p. 135, n. 2). Verumtamen, si in tempore utili exceptio proponitur contra iudicis competentiam, «hac de re ipse iudex videre debet» (c. 1119, § 1). In casu exceptionis de incompetencia relativa, si iudex se competentem pronuntiat, eius decisio non admittit appellationem, sed «impugnari potest per querelam nullitatis, restitutionis in integrum vel oppositionem tertii» (cf. c. cit., § 2).

Attamen, animadvertendum est, talem decisionem, si per decretum data sit, aut per sententiam interlocutoriam, «vim habere decisionis definitivae» (cf. A. REIFFENSTUEL, *Ius Canonicum universum*, I, II, tit. XXVII, n. 21).

Cum, enim, quis sese defendere cogitur coram iudice incompetenti, contra cuius decisionem appellare non potest, nedum ex aequitate canonica, sed potius ex iure naturali, in quo ius defensionis innititur, illa remedia, adversus iudicis decisionem, ei praesto sunt. Ex hisce remediis querela nullitatis est remedium ordinarium. Dum «restitutio in integrum» remedium extraordinarium nuncupatur, quia in aliquibus dumtaxat conceditur casibus, in quibus nempe neutrum suppetit. Quo fit, ex aequitate naturali, ut «per officium iudicis», cum laesio illata remediis ordinariis corrigi nequit, res reducatur in eum statum iuris in quo fuerat ante iuris laesionem (cf. M. LEGA - BARTOCETTI, *Commentarius in iudicia ecclesiastica*, Romae 1938 - 1941, vol. I, 431). Quod remedium iuris pro obiecto habet «sententiam, quae transiit in rem iudicatam, dummodo de eius iniustitia manifeste constet» (c. 1326, § 1). Ast, de iniustitia manifesto constare non censetur, nisi, praeter alias rationes, «legis non mere processualis praescriptum evidenter neglectum fuerit» (cf. c. cit., n. 4). Etsi, in casu, agatur de decreto iudicis, et non de sententia, nihilominus censemus hunc remedium respicere, ex ipso legis praescripto, in aequitate naturali insito, etiam decretum vim decisionis definitivae habens, nam per sententiam definitivam iuris laesio amplius corrigi haud potest.

Ad concedendam restitutionem in integrum duae requiruntur condiciones, nempe:

a) ut agatur de gravi iuris laesione, quae restitui-

tionem petenti non est imputanda;

b) ut iusta detur causa restitutionis concedendae. Utrum, autem, hae condiciones in casu concreto adsint vel minus, iudicis est decernere. Quam ob rem, restitutio in integrum propter motivum de quo in n. 4 c. 1327 petenda est a «tribunali appellationis intra tres menses ab intimatione sententiae computandos», ad normam canonis 1327, § 2 CCEO.

14. Praetermissis aliis quaestionibus, quae hic fieri possent plus minusve utiliter, Patres de Turno statim aggressi sunt meritum quaestionis, de qua hinc agitur, prae oculis habentes recursum partis conventae et rationes quibus innititur, necnon Votum Promotoris Justitiae una cum scriptura defensionali eximii Patroni ex officio eiusdem mulieris et adnotationes Cl.mi Patroni viri actoris.

Imprimis, Promotor Justitiae asserit, mulierem conventam interposuisse adversus decretum reiectionis Iudicis unici ac Tribunalis Praesidis, diei 29 octobris a. 1993, dumtaxat appellationem haud vero querelam nullitatis vel restitutionem in integrum (cf. Votum diei 21 februarii a. 1994, p. 7).

Attamen, ad rem notare iuvat, quidquid sit de opinione Promotoris Justitiae, quod mulieris conventae Patronus ex officio, sua instantia diei 9 aprilis a. 1994, universis Actis pervolutis, praemittens: «attento quod Vicarius Judicialis Tribunalis nationis B. decreto diei 15 aprilis a. 1992, suam incompetentiam declaravit ad mentem c. 1359, n. 4; - attento quod, semel declarata incompetencia, phasis admissionis libelli considerari debet omnino finita; - attento quod, pro nova phasi instauranda in ordine ad admissionem libelli, necessarium est (erat) iterum audire partem conventam, seu, non agere inscia omnino altera parte, quod idem est ac in damnum eius agere; - attento

quod consensus datus a Vicario Judiciali Tribunalis D., die 18 martii 1993, scilicet fere post annum ab illo decreto declaratae incompetenciae et quidem instante Exc.mo Eparcha Maronitarum in natione B. (ergo non actore ad normam c. 1119, § 3) - non dispensabat seu non exonerabat Vicarium Judiciale Tribunalis D. ex officio audiendi alteram partem, quae, si voluisset suas exceptiones proponere potuisset - (ex. gr. in probationes quae pleraque in loco domicilii viri seu in natione B. colligendae dicuntur ad iura sua tuenda; - attento quod consensus datus, die 18 martii 1993, a Vic. Jud. Trib. D. inaudita et omnino inscia parte conventa, huius jus defensionis violavit (c. 1303, n. 7) idipsumque ius denegavit; - attentis cc. 1118, § 1; 1119, § 2; 1303, n. 7, proposuit querelam nullitatis decreti admissionis libelli, diei 21 aprilis 1993, et omnium actorum subsequentium, et subordinate petiit restitutionem in integrum ad normam c. 1119, § 2 et c. 1326, nn. 3-4-5 (cf. Inst. cit., diei 9 aprilis a. 1994, pp. 1-2).

Meminisse, igitur, oportet, quod duo edita sunt decreta a Tribunali Graeco Melkitarum in natione B. constituti, scilicet:

a) primum, die 15 aprilis 1992, quo Iudex unicus exceptionem mulieris conventae admisit, scribens: «Vu que ce Tribunal a demandé le consentement dû du Vicaire Judiciaire mais il ne l'a pas obtenu, après que le Vicaire Judiciaire ai entendu la défenderesse et répondu à ce Tribunal» (cf. Acta adnexa ad prosecutionem appellationis, Doc. 3);

b) secundum die 29 octobris a. 1993, quo exceptionem mulieris conventae eiusque instantiam, demandandi scilicet tractationem causae in competenti Tribunali Unificato Maronita in D. constituto, seseque competentem esse causam tractandi declaravit

(cf. ib., Doc. 10). Immo, licet de recusu ad H.A.T. edoctus fuerit, nihilominus iussit, ut eadem pars conventa per rogatorias interrogetur, uti iam vidimus.

15. Utcumque et in omni casu, quidquid in contrarium Promotor Justitiae cogitet aut dicat (cf. Votum cit., p. 7), praetermissa etiam querela nullitatis a mulieris conventae eximio Patrono ex officio formaliter proposita, praeter rationes in recursu adductas (cf. «Requete», pp. 1-5), sufficit hic inspicere quae ipsamet pars conventa in suo recursu scripsit, inter alia petens: «Au fond: *d'infirmar* la décision de première instance *en entier* et de *l'annuler* en déclarant l'incompétence du Tribunal grec-catholique au B.» (cf. ib., 9. 8).

Etsi verum est, quod mulier conventa non utatur verbis technicis, veluti querela nullitatis aut restitutio in integrum aut similia, illa verba, quibus ipsamet usa est sunt aequipollentia, seu dicendum esse videtur, saltem per aequipollens exprimunt eius intentionem H.A.T. proponendi appellationem una cum querela nullitatis ad mentem cc. 1306 et 1307, § 1 adversus decretum Judicis Tribunalis B. constituti, diei 29 octobris a. 1993. Ratio est, quia petere, ut infirmetur decisio primae instantiae «*en entier*» et, insuper, «*l'annuler*», iuridice loquendo idem est ac interponere querelam nullitatis contra eandem decisionem, et, subordinate, proponere restitutionem in integrum ob c. 1359, n. 4 praescriptum manifeste neglectum, ad normam c. 1326, § 2, n. 4.

III. Conclusio

16. Quibus omnibus, in iure et in facto expositis, attente consideratis atque perpensis, visum est Nobis Patribus Auditoribus de Turno:

— quod Tribunal Graecorum Melkitarum in natione B. constitutum incompetens est causam nullitatis matrimonii de qua agitur pertractandi atque decidendi, ideoque adversus decretum ab eodem Tribunale, die 29 octobris a. 1993, locum esse restitutioni in integrum, ob violationem iuris in procedendo et in decernendo;

— quod Tribunal competens pertractandi causam in facti specie est Tribunal Unicum maronitarum in natione D. in loco v.d. situm;

— quod interventus Exc.mi Eparchae Maronitarum in natione B. fuit quaedam indebita intromissio in rem, quae eum haud respiciebat.

17. Rebus sic stantibus, expleta disceptatione, infrascripti Patres Auditores de Turno propositae quaestioni respondendum esse censuerunt, uti et de facto respondent:

«NEGATIVE, SEU NON CONSTARE DE COMPETENTIA TRIBUNALIS GRAECORUM MELKITARUM IN NATIONE B. CONSTITUTUM, IN CASU, IDEOQUE REM IN INTEGRUM RESTITUENDAM ESSE».

Quod decretum iusserunt Patres notificari omnibus, quorum interest, ad omnes iuris effectus, servatis adamussim ceteris omnibus de iure servandis.

Datum Romae, in Sede apostolici Rotae Romanae Tribunalis die NN. a. 1994

DANIEL FALTIN, Ponens
LAURENTIUS CIVILI
JOSEPH HUBER
Gregorius Erlebach, Not.

Ex Cancelleria Rotae Romanae Tribunalis, die

Gregorius Erlebach, Not.